

JACOBI RUNGII, D.

Generalis Superintendentis Ecclesiarum DEI
in Pomerania Occidentali,

CONFESSIO
Ecclesiarum Pomeraniæ,

De

Cœna,

ad disputandum

in Academia Gryphiswaldensi,

Anno 1582. proposita.

Disputationis Ordinariæ Loco

Anno 1707. d. 26. Mart.

repetita

à

JO. FRID. MAYERO, D.

Generali Superintendente Ecclesia-

rum DEI in Pomerania Svecica, Facult. Theol.

Seniore atq; DECANO,

&

JACOBO BENZELIO, Svecico.

GYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

Coll. diss. A
S 215, 2

Dissert. 215 (2)

XII. 72. 6



JESU FORTUNANTE !



Anctum mihi semper ac venerabile
D. JACOBI RUNGII, Pomeraniæ
Occident. Rugiæq; Præfulis est nomen.
Cujus labores ac merita mihi ob ocu-
los pono: utq; indignus ego succes-
sor, aliqua exscribam similitudine,
quotidie elaboro: atq; quæ reliquit, postquam PHI-
LIPPI MELANCHTONIS artes agnovit, aurea
prorsus scripta, quo ab interitu asseram, omni anni-
tor studio. Magni hujus Viri pietas in Sanctissimum
Servatorem, Confessionem Ecclesiarum Pomeraniæ,
de vera & reali presentia Corporis & Sanguinis Domini nostri
JESU CHRISTI in Sacra Cæna, expressit: quæ jubentibus ita
Pomeraniæ tunc Ducibus Clementissimis, BARNIMO
Seniore, JOH. FRIDERICO, BOGISLAO, ERNE-
STO LUDOVICO, BARNIMO Juniore, atq; CASI-
MIRO, adprobantibus Theologis, Consistentibus
Illustribus Ducatum Statibus, Symboli Eccle-
siaſtici autoritatem usumq; in hunc diem
obtinuit. Postquam vero Sacrosanctæ Confessionis
Verba



Verba in pravos torqveret sensus, errorisqve sui patro-
cinium raperet Sacramentarium Secta: solida hac,
quam tibi, L. B., repetita editione exhibemus, disserta-
tione, adversariorum malitiam profligavit. Et
cum hanc quoque Calumniis peterent hostes veritatis:
mascule illam Anno 1568. vindicavit peculiari scripto:
Warnung wieder den Sacramentirischen Lügen-Geist/
der sich unterstehet/ unser Pommersch Kirchen-Bekannt-
niß von des HErrn Christi Abendmahl zu verfälschen/
zu verkehren und zu verkehern/ und auf seine gottlose fal-
sche Lehre zu deuten. Cum vero in eo est Typographus,
ut Operi manum admoveret: ecce nostras Athenas visi-
tat, *Summa Eruditionis Juvenis, Filius Theologi Consummatissimi
& immortalium in Ecclesiam JESU CHRISTI universam meri-
torum, Archi-Episcopi Regni Sveciæ, Sanctissimi Senis, DN.
ERICI BENZELII, Patris quoque nostri in CHRISTO Summe
Venerandi, Filius, DN. JACOBUS, Patris absolutissimum instat,
& ex Votis nostris Defendentis munus in se suscipit.
Qua de promptitudine non possum non mihi & Præ-
cellentissimo BENZELIO gratulari, DEUMQUE ardentis-
simis poscere precibus, quo longos in annos utrumque.
Patrem pariter & Filium ex animi sententia felices,
Ecclesiæ & Rei literariæ causa servare velit.*

Ob signo hæc precibus Beatissimi Præfulis in Frag-Arti-
ckeln vom Sacrament des heiligen Abendmahls und von
der Person des HErrn Jesu Christi Anno 1591. editis:
Der ewige Sohn Gottes / unser HErr
Jesus Christus / erhalte uns durch den
heiligen Geist bey seinem Worte / und
heilige diese Pommersche Kirchen und
Schulen/

Schulen / auch aller Christen Herzen in
seiner Wahrheit / sein Wort ist die War-
heit / daß wir in Ihm und bey Ihm blei-
ben / und im rechten wahren Christlichen
Glauben ewig selig werden.

Wer nicht bleibet in der Lehre unsers
HERRN JESU CHRISTI / der hat keinen
GOTT / kan auch nimmer selig werden.
2. Joh. I.

Scribendam & precibus ad Vulnera CHRISTI
adstrictis à Misericordiarum Patre poscebam, Gry-
phiswaldiæ, d. 22. Mart. Anno 1707.

JO. FRID. MAYER, D.

CONFESSIO
ECCLESIIARUM POMERANIÆ,
DE VERA PRÆSENTIA CORPORIS, ET SAN-
GVINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
IN SACRAMENTO COENÆ.



Sacrum convivium, in quo
DEI Filius CHRISTUS
DOMINUS crucifixus,
pascit Ecclesiam mirando
mysterio.

Sub pane sacro, dans corpus illud
suum verum, quod pependit in crucis
ligno, sub vino sacro, dans sangvi-
nem suum illum verum, qui effusus est,
pro peccatis Mundi.

Sic adest CHRISTUS in Cœna,
non sola gratia, non solo Spiritu, non
absens corpore, sed quia sedet ad dex-
teram Patris in cœlestibus, implens
omnia, verè præsens est. DEUS &
A Homo,

Homo, potens omnia, verax in verbo suo, cum inquit, dicens:

HOC EST CORPUS MEUM,
 QVOD PRO VOBIS TRADITUR,
 ACCIPITE, COMEDITE.

Ergò in Cœna sacratissima, corpus Domini manducant omnes Christiani, digni & indigni.

Digni edunt ore & fide, ad vitam æternam: Indigni edunt solo ore, sine fide, ad mortis iudicium.

PIO LECTORI

S. D.

Confessionem hanc de Cœna Domini, nomine Ecclesiarum Pomeranice ante annos quindecim per gratiam DEI contexuimus, consensu reliquorum Superintendentum & Pastorum aliquot in his Ecclesiis. Addidimus & melodiam, ut in publicis Ecclesie congressibus sub Communionis sacra, dum corpus & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI cum pane & vino populo distribuitur, decantari posset. Priusquam verò in publicato Ordine Ecclesiarum Pomeranice typis excuderetur, in Synodis Pastorum proposita, & quod multi meminervnt, omnium voce, unanimiter, magno cum gaudio & consensu approbata fuit.

Veluimus

Voluimus hoc testimonium nostrae doctrinae & fidei, de Sacramento corporis & sanguinis CHRISTI extare, non modo apud Ecclesiam hujus temporis, sed etiam apud posteros. Inprimis autem puerilem aetatem in scholis ad hanc piam & veram sententiam, de substantia Cœnae Dominica à teneris assuescere. Quod cum ita sit, multi mecum cum inæstuita animi intellexerunt, Ecclesias Pomerania ab aliquibus insimulari erroris Sacramentarii. Quod sit eò iniquius, quòd Ecclesia Pomeranica in suscepta sententiarum communicatione, quomodo dissensiones & rixae Theologicae tolli possent, palàm testata sunt, se Articulum de Cœna Domini & de persona CHRISTI in Libro, quò titulo CONCORDIÆ JEHOVA editus est, amplecti, & semper se sic de substantia Sacramenti Cœnae sensisse & docuisse.

Quia verò per benignam DEI voluntatem & misericordiam, annos jam triginta quatuor & amplius, in hac Schola & Ecclesia doceo, & in annum vicesimum sextum minister & inspector sum Ecclesiarum DEI in Pomerania occidentali, quæ paret Illustrissimis Principibus & Dominis, D. Bugislavo, & D. Ernesto Ludovico Fratribus, Ducibus Stettinensium, Pomeranorum, Cassuborum & Vandalorum, Principibus Rugia, Comitibus Gutzcovia, &c. Dominis meis clementissimis, volui, quòd faustum & salutare sit Ecclesiae, eandem confessionem de Sacramento Eucharistiae repetere, breviter declarare, & ad disputandum publicè in Schola proponere.

Video enim multos non considerare nec intelligere, quantum sit mali in dogmate Sacramentario de Cœna Domini, quam late id pateat, quos fructus proferat & quomodo ut cancer serpat, pauciores verò attendere, quomodo dormientibus hominibus, inimicus superveniens seminet zizania, quæ Filium DEI mendacii arguant, Testamentum ipsius pervertunt, omnipotentiam ipsius negant, Naturas in persona CHRISTI separant, & horri-

biles blasphemias in CHRISTUM, & Sacramentum corporis & sanguinis ipsius, cum perniciosis disidiis & tumultibus in Ecclesiis & Politis pariunt. Quae mala, ut DEUS per misericordiam suam ab his regionibus clementer avertat, toto pectore assidue orandus est.

In Domino igitur nostro JESU CHRISTO, qui nos redemit sanguine suo, & nos imbecilles sacratissimo suo corpore & sanguine in Synaxi sacra pascere, nos secum unire, fidem in nobis confirmare & conservare voluit, omnes pios & bonos in tota Pomerania, carissima Patria mea, praesertim vero Ecclesia Pastores, Ministros Evangelii, & Praeceptores in Scholis, qui pueritiae docenda praesunt, obtestor & oro, ut auxiliante Spiritu Sancto, in doctrina & fide de Sacramento corporis & sanguinis CHRISTI, quae in Confessione Ecclesiarum Pomeraniae de eo expressa est, immoti, ειλικρινεις ητοι απροσκοποι, sinceri & sine offensione persistant, ne per nequitiam & versutiam hominum a veritate se abduci, seu quovis doctrinae vento circumagi aut circumveniri patiantur.

Non agitur de persona vel autoritate ullius hominis. Non sumus Petri, Pauli, Lutheri aut Philippi. Super illis non sumus baptizati. Agitur de veritate & omnipotentia Filii DEI, Domini nostri JESU CHRISTI, de inviolabili veritate & substantia sacratissimi Testamenti ipsius, de indissolubili unione divina & humana Natura in persona CHRISTI, de ipsius majestate & gloria.

Aeterna sit laus, honor, & gratiarum actio JESU CHRISTO, DEI Filio, quod per Paulum & Apostolos alios, veritatem suam Ecclesia patefecit, & quod per Lutherum veram doctrinam de substantia & sumptione Sacramenti Coenae Ecclesia tradidit. Philippi Melancthonis scripta, quatenus hac in parte cum verbis CHRISTI & cum Lutheri doctrina consentiunt, recipimus

cipimus & piè ea intelligimus, quemadmodum ante annos tri-
ginta intellecta esse scimus. Si quid secus tandem ab ipso, vel
ipsius nomine ab aliis scriptum & editum est, id cum honore
ipsius præterimus.

Quoniam vero permulti Sacramentariorum libri circumfe-
runtur, quæ multis, propter ingenii acumen, eruditionem, & ge-
nus sermonis, arident, oro & hortor in Domino JESU CHRIS-
TO omnes pios & bonos, præsertim vero Ecclesia & Schola-
rum ministros, ut in timore DEI cum judicio eos legant & vi-
gilantes ac orantes caveant ne seducantur, Siracides inquit:
Qui tangit picem, inquinatur ab ea. Et qui in Sole ambulat,
coloratur.

Reverenter etiam oro omnes in Magistratu positos, in pri-
mis Consules & Senatores in civitatibus, ut Confessionem Ec-
clesiarum Pomerania de Cæna Domini ament, corde puro eam
teneant, & pia vigilantia sinceram in Ecclesiis & Scholis con-
servari curent, & attendant, quales ministri Ecclesiis & Scholis
præficiantur & præsent, ne dormientibus nobis Satan zizania se-
minet, quæ ubi radices agunt, non facile extirpantur,
& multa magna mala attrahunt. Gryphiswaldia, die
Conversionis Pauli, Anno CHRISTI

1582.

JACOBUS RUNGIVS.

A 3

BREVIS

**BREVIS EXPLICATIO
CONFSSIONIS ECCLESIIARUM
POMERANIÆ,**

DE SUBSTANTIA COENÆ DOMINI, AD DIS-
SPUTANDUM PUBLICE PROPOSITA IN
ACADEMIA GRYPHISWALDENSI.

I.



Sacramentum Cœnæ

Domini in Ecclesia Novi Testa-
menti, est sacrum illud Convi-
vium, ab ipso Filio DEI institu-
tum, in quo CHRISTUS Domi-
nus, crucifixus pro nobis, victi-
ma factus pro peccatis homi-
num, Ecclesiam suam colligit &
pascit mirando mysterio, dans sub pane sacro, juxta
institutionem suam usurpato & sumto, omnibus ve-
scentibus, dignis & indignis, corpus illud suum verum,
quod pependit in crucis ligno, & dans bibentibus omni-
bus sub vino sacro sanguinem suum illum verum, qui
effusus est pro peccatis Mundi.

II.

Hæc descriptio Sacramenti Cœnæ Dominicæ con-
gruit cum definitione illa, quæ a Luthero in Cate-
chismo tradita est:

Sacramentum Cœnæ Domini, est verum corpus &
verus sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, sub
pane

pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum ab ipso CHRISTO institutum.

III.

Idem docet hæc definitio: Cœna Domini, est actio sacra in Novo Testamento à Filio DEI instituta, in qua conveniente Ecclesia recitatur institutio Christi, & sumto pane & vino, sumitur verum corpus & verus sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, ut fides reconciliationis cum DEO hoc pignore in cordibus confirmetur, & pii cum CHRISTO unum fiant, & beneficia ipsius celebrent.

IV.

Sic quoque accipiatur definitio, quæ in Examine ordinandorum Philippi extat: COENA Domini est communicatio corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, sicut in verbis Evangelii instituta est, in qua sumtione Filius DEI verè & substantialiter adest, & testatur se applicare credentibus sua beneficia, & se assumisisse humanam naturam propter nos, ut nos quoque sibi insertos fide, membra sua faciat, & nos ablutos esse sanguine suo. Simul etiam testatur, se velle in credentibus deinceps esse, & se, cum sit λόγος æterni Patris, docere, vivicare & regere credentes, sicut inquit Joh. 15. manete in me & ego in vobis. Qui manet in me & ego in eo, i. e. qui fide retinet Evangelium, in eo verè adest Filius DEI.

Vera & substantialis præsentia Filii DEI in Cœna Domini, in hac definitione intelligenda est, non de præsentia solius divinitatis CHRISTI, sed de præsentia totius CHRISTI, DEI & Hominis. Quòd videlicet

videlicet verè & substantialiter, cum pane & vino in usu Sacramenti adfit corpore & fangvine suo, sicut in verbis Evangelii Cœna Sacra instituta est, sic enim Philippus ipse se explicat.

Quomodo vero instituta sit, docent verba CHRISTI, accipite, comedite. Hoc est corpus meum. Prætereà, clarè dicit Philippus in Examine Germanico, quod eodem tempore Anno 1552. scripsit & edidit. In Cœna Domini exhiberi, & à fumentibus accipi verum corpus & verum fangvinem Domini nostri JESU CHRISTI.

Et in Locis Communibus affirmat, CHRISTUM in Cœna adesse, non solum efficacia, sed etiam substantia, & loquitur expressè de carne & fangvine CHRISTI.

V.

Cœnam Domini vocamus Convivium sacrum. Quia ad manducandum & bibendum nobis Christianis à Filio DEI instituta est, sicut inquit CHRISTUS: Accipite, comedite, bibite omnes. Et Paulus inquit, 1. Corinth. 11. Convenientibus vobis in unum ad manducandum Cœnam Dominicam. Eucharistia igitur in congressu Ecclesiæ celebranda est, semper facta distributione corporis & fangvinis CHRISTI inter manducantes & bibentes. Quemadmodum etiam in Israelitica Ecclesia ad usum Agni Paschatos plures manducantes convenire oportuit.

VI.

Seqvitur hinc, Cœnam Domini non esse à CHRISTO institutam ad sacrificandum seu offerendum pro vivis & mortuis, pro culpa & pœna, pro avertendis morbis

morbis

morbis & omnis generis vitæ hujus calamitatibus? quemadmodum Romanus Pontifex cum suis *εὐχαριστίας* in *ἱλαστήριον*, hoc est, in Sacrificium propitiatorium convertit, & in Missis privatis, ut vocant, quas Sacrificuli sine communicantibus, nulla facta distributione consecrati panis & vini, missificant, in contumeliam CHRISTI Filii DEI, immolati semel pro nobis in ara crucis, Filium DEI denuò quotidiè, DEO Patri offerendum instituit. Quod cum divina institutione Cœnæ Domini prorsus pugnat.

Nec est in Missa illa Papæ corpus aut sanguis CHRISTI, quia non retinetur institutio CHRISTI. Sacrificuli igitur in Papatu, non Filium DEI, sed merum panem offerunt, non DEO, sed Diabolo.

Ita Missa Pontificia est horribilis blasphemia in CHRISTUM Filium DEI, ludibrium Ecclesiæ, abominatio desolationis, stans in loco sancto. Idolium Antichristi, quod Daniel DEUM Moasim nuncupat. Quod Filius perditionis colit auro & argento, & cultoribus ejus terram distribuit gratuito.

VII.

Nec instituta est Cœna Domini à CHRISTO, ad eircumgestandum in spectaculis Procesionum, nec ad reponendum in ciboriis, nec ad adorandum extra usum à CHRISTO institutum. Quemadmodum pontificii Tyranni non modò docent, sed etiam vi cogunt populum, panem consecratum repositum in ciborio, vel in Missa elevatum, vel in Procesione eircumgestatum, adorare ut DEUM.

Quæ abominatio desolationis in Regno Pontificio,

B

ficio,

ficio, verè Ethnica *ἀρτολατρεία* est. Panis enim eo modo circumgestatus, vel in ciborio repositus, extra usum Sacramenti à CHRISTO institutum, nil nisi merus panis est, quem ut DEUM adorare & colere, furor & extrema amentia, imò Ethnica & irrationalis idolomania est.

VIII.

Ad Idola isthæc stabilienda, Papa cum suis confinxit monstrum Transubstantiationis, quod tale est: Fingit panem in Cœna Domini non manere panem, sed prorsus transmutari in carnem & corpus CHRISTI, remanentibus solis accidentibus panis, quæ sensibus percipiuntur. Docent igitur Papistæ, in Missa virtute verborum consecrationis, ut vocant, cum illa super elementis, pane & vino, recitantur, substantiam eorundem penitus annihilari aut desinere, & totam in corpus & sanguinem CHRISTI mutari, quod transubstantiari nominant.

Quod portentum stabiliendæ Idololatriæ causa confictum, ut Ecclesia redarguat, credit & docet, sub pane & vino in Cœna Domini sumentibus dari verum corpus & sanguinem CHRISTI, non quòd corpus CHRISTI inclusione locali in pane contineatur, sed ut hac loquendi forma, somnium pontificium de transubstantiatione refutetur, & testimonium extet, Cœnam Domini constare duabus rebus, terrena & cœlesti.

Res terrenæ sunt, panis & vinum, res cœlestes sunt, corpus & sanguis CHRISTI exaltati in dextra virtutis DEI. Quemadmodum & Paulus clarè affirmat, panem in Cœna Domini esse verum corpus
CHRIST-

CHRISTI, & nihilominus manere & esse verum panem, qvi substantiam suam non amittat, multò minus reliquis solis accidentibus in carnem CHRISTI transubstantietur.

IX.

Ecclesiam CHRISTI in doctrina de Cœna Domini circumstant duo exercitus, Alter Turbæ Pontificiæ, quæ transubstantiationem panis in corpus CHRISTI statuit, & substantiam panis & vini in Eucharistia remanere negat. Alter Sacramentariorum, qvi verba CHRISTI: Hoc est corpus meum, abjiciunt, & sensum alium ipsis affingunt, pernegantes adesse substantiam corporis & sanguinis CHRISTI cum pane & vino in Cœna Domini, & vociferantes, panem Cœnæ Domini esse panem & manere panem, vinum esse vinum & manere vinum, corpus CHRISTI, quod in cœlo sit, tam procul à pane Eucharistiæ abesse, quam procul cœlum à terra abest. CHRISTI igitur corpus in Cœna Domini cum pane adesse, non substantialiter, quòad substantiam carnis suæ, sed spiritualiter solummodò, quòad ipsius fructum & efficaciam, quam soli renati ex DEO fide percipiant.

X.

Sacramentarii nolentes rationem & intellectum suum captivare in obsequium CHRISTI, sed extolentes se adversus scientiam DEI, fingunt secum, transubstantiationem Pontificiam non posse refutari aut tolli in Ecclesia, nisi ea credat & doceat, panem Cœnæ Domini tantum esse panem, & substantiam

B 2

carnis

carnis & sanguinis CHRISTI tantum abesse à Cœna Domini, quantum cœlum à terra distat.

Clamitant, nostras Ecclesias credendo veram & substantialem cum pane sacro corporis CHRISTI præsentiam, fingere consubstantiationem, quòd videlicet duæ diversissimæ substantiæ, altera panis, altera corporis CHRISTI in Eucharistia in uno subjecto uniantur & conjungantur.

Ad quos clamores respondendum est, consubstantiationem illam, si opinio de locali inclusione & durabili alligatione extra usum à CHRISTO institutum absit, non à Luthero & aliis confictam, sed ab ipso Filio DEI sancitam & traditam esse, eo modo, ut verba institutionis Cœnæ Domini sonant, accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c.

XI.

Mutilatio Eucharistiæ, qua Papa Filius perditionis cum sua turba, juxta impium decretum Concilii Constantiensis, ignotum CHRISTO, Apostolis & veteri Ecclesiæ, partem ejus alteram, calicem nimirum, cum sanguine Filii DEI, populo Christiano eripit, manifesta Antichristi Tyrannis est, impulsione diaboli audacissimè invec̃ta & stabilita, ut seductæ Ecclesiæ CHRISTI plus illuderetur, & ut dignitas clericorum seu rasorum missificatorum præ laicis extolleretur.

Pugnat autem non modò cum dicto illo Pauli, Gal. 3. Testamentum hominis postquam confirmatum est, nemo mutat. Sed palàm redarguitur, & damnatur per expressa verba Filii DEI, quæ institutione Cœnæ Domini corpus CHRISTI manducandum sub pane

pane, & sanguinem CHRISTI bibendum cum vino, manifestè copulativè conjungunt, addito claro mandato, ut omnes de calice bibant.

Quod autem Pontificii prætendunt, corpus CHRISTI non esse absque ejus sanguine: Ergò supervacaneum esse laicis utramque Sacramenti partem imperitari, id si verum est, quid opus est, Papam & Sacrificulos ipsius utramque partem Eucharistiæ percipere? Quæ vero est audacia & impudentia, Testamentum CHRISTI Filii DEI mutare? Scriptum est, Deut. 4. Non addes ad verbum meum, nec auferes ab eo quidquam.

XII.

Per impios tamen Episcopos & Pastores in Papatu servat CHRISTUS sacram scripturam, decem Præcepta DEI, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Baptismum, Sacramentum Cœnæ, Claves & Ministerium Ecclesiæ, tametsi omnia isthæc per Papam Filium perditionis horribiliter depravata sunt. Servat & DEUS in colluvie Pontificia Ecclesiæ reliquias, sicut Eliæ tempore, servavit septem millia, qui Baal non adoraverant. Habet DEUS & in Papatu suos, & Dominus novit suos, 2. Tim. 2.

XIII.

Si quis autem luce Evangelii illuminatus, contra agnitam veritatem cum Papistis, Sacramento sub una specie utatur, sciens institutionem CHRISTI ab ipsis perverti, is horribili cum scandalo & periculo peccat in Spiritum Sanctum, & serviens Diabolo,

omnes Antichristi abominationes & tyrannidem confirmat & approbat.

Similiter peccant, qui scientes & volentes, levitate vel in gratiam hominum, contra agnitam veritatem cum Sacramentariis communione Cœnæ Domini utuntur. Lutherus affirmat, ipsos in Sacramento Cœnæ nihil nisi panem & vinum habere, propterea quod verba institutionis CHRISTI pervertunt impia opinione sua, qua Filium DEI mendacii arguunt, CHRISTUM hominem divina sua majestate & gloria, Ecclesiam verò reali manducatione veri corporis CHRISTI spoliant.

XIII.

Tali convivio verè sacro & salutari pascit CHRISTUS in sacra Synaxi ecclesiam suam, colligens eam voce Evangelii & usu Sacramentorum, quæ sunt nervi publici Ministerii & congregationis sanctorum DEI in Ecclesia, Symbola confessionis & fidei, quibus Ecclesia à Synagoga Papæ & aliis sectis distingvitur.

Ufu verò Cœnæ Domini pascitur & alitur Ecclesia cibo cœlesti & potu divino. Per eum enim confirmatur fides reconciliationis cum DEO in cordibus. CHRISTI mors & meritum credentibus applicatur.

Manducatione corporis CHRISTI cum pane Eucharistiæ efficimur membra CHRISTI, os de ossibus, caro de carne ipsius, facti unum cum CHRISTO, non sola unione spiritali, sed etiam secundum carnem, participatione naturali, ut reali communione corporis & sanguinis CHRISTI corda & animæ vivificentur,

tur, & corpora credentium conserventur, ad immortalitatem incorruptibilis vitæ & gloriæ.

Uſu quoque Cœnæ Domini per Spiritum ſanctum, qui in ea opulenter in credentes effunditur, accenduntur corda ad commemorationem mortis CHRISTI, ad gratiarum actionem erga DEUM, ad invocationem DEI.

Invitantur & multi alii piorum exemplo & confessione, ut per gratiam & auxilium Spiritus Sancti verbo DEI obediant, pœnitentiam agant, verè doleant ſe peccatis ſuis offendiffe DEUM, in CHRISTUM credant, pium proſiſitum vitandi peccata animo concipiant, & ſimili fide uſum Eucharistiæ petant.

Eſt denique communio Cœnæ Domini vinculum unitatis, concordia & dilectionis inter Chriſtianos, & commonefactio de patientia, & precatone in cruce, & de mortificatione carnis.

Hæc omnia complectimur cum dicimus, CHRISTUM reali communione ſubſtantia corporis & ſanguinis ſui Eccleſiam mirando myſterio paſcere.

XV.

Verè miranda ſunt tanta Filii DEI beneficia, quæ per ſacram Synaxin Eccleſiæ impertit, & quæ DEUS & homo in nobis habitans operatur in cordibus. Sed magis mirandum eſt, quòd ſuos, quos dedit ipſi Pater, ſuo ipſius corpore & ſanguine ad vitam æternam paſcere voluit, myſterio adeò admirabili, ut in communionem Cœnæ ſuæ, ſumentibus eam, det cum pane corpus illud ſuum verum, quod pro nobis in mortem traditum pependit in crucis ligno, & det in ea bibentibus

tibus

tibus, cum vino sanguinem suum illum verum, qui effusus est pro peccatis Mundi. Quod inenarrabile & incomprehensibile mysterium, beneficium & donum, nulla humana ratio percipit, nullius creaturæ sapientia prospicit aut peruestigare potest. Fides verò in Christiano pectore, nitens verbis CHRISTI, credit id verum esse, & cum Maria dicit, fiat mihi secundum verbum tuum.

XVI.

Errant Sacramentarii, discipuli Caroloostadii, Zwinglii, Oecolampadii, Calvini, recedentes à verbis CHRISTI, in institutione Eucharistiæ, hoc est corpus meum, pro vobis in mortem traditum, hic calix Novi Testamenti est sanguis meus, qui pro vobis in remissionem peccatorum effunditur, & fingentes, CHRISTUM corpore & sanguine suo nec adesse in Cœna Domini, nec posse adesse in terris, minimè verò innumerabilibus in locis, simul & semel, ubi celebratur Cœna Domini.

Causam suæ hujus imaginationis afferunt hanc, quòd CHRISTUS corpore suo in Cœlum ascenderit ubi ad dexteram DEI sedeat, nec inde cum Corpore suo rediturus sit ante extremum diem.

Item, quòd CHRISTUS habeat verum corpus humanum, naturale & finitum, certo loco circumscriptum, ubicunqve sit, simile nostro corpori, absque peccato.

Item, quòd corpus naturale finitum, tantum uno certo sit loco.

Item, quòd impossibile sit corpus verum naturale, finitum, simul & semel esse pluribus in locis.

Item,

Item, quod DEUS per omnem divinam suam potentiam non possit perficere, ut corpus finitum simul & semel sit pluribus in locis.

Indè concludunt, impossibile esse, corpus CHRISTI, quod jam in cælo sit, re ipsa & substantialiter esse cum sacro pane in Cœna Domini.

Addunt expolitionem hanc, corpus & sanguinem CHRISTI sedentis in cælo, tam procul abesse à pane & vino in Cœna Domini, quam procul supremum cœlum à terra abest.

Decernunt igitur, verba CHRISTI, quibus sacram Synaxin instituit: EDITE, HOC EST CORPUS MEUM, non oportere intelligi, *κατὰ τὸ ῥητὸν*, ut sonant, de vera præsentia corporis CHRISTI cum illo pane, sed figuratè *κατὰ τὴν διάνοιαν*, ea accipi oportere.

Quod videlicet panis in Cœna Sacra tantum sit signum corporis CHRISTI absentis in cælo, crucifixi pro nobis, ut Zwinglius interpretatus est. Vel quod sit figura corporis CHRISTI, ut Oecolampadio placuit. Vel quod per panem illum, qui appellatur corpus CHRISTI, nobis fide applicetur gratia & meritum CHRISTI, seu omnis fructus, virtus & efficacia mortis CHRISTI, sicut Calvinus voluit.

Indè porrò decernunt CHRISTUM hic in Sacramento Cœnæ adesse non corporaliter sed spiritualiter, idque per communicationem Idiomaticum, juxta eam naturam, quæ ubique vel pluribus in locis simul & semel adesse possit, hoc est, CHRISTUM adesse in Cœna Domini non substantia corporis & sanguinis sui,

C

sed

sed sola sua divinitate, sola sua gratia, solo suo spiritu, solo fructu & efficacia mortis suæ.

Et contra affirmant, impossibile esse, totum CHRISTUM, DEUM & hominem in terris jam adesse.

Impossibile esse corpus CHRISTI, quod in cælo & finitum sit, adesse cum pane in Synaxi sacra.

Dicunt non esse necesse, ut caro & sanguis CHRISTI cum pane & vino in Sacramento Cœnæ adsint, satis esse nos fide spiritualiter id percipere.

Dicunt esse absurdum & abominabile, humana carne vesci, multò verò abominabilius, Christianos comedere seu devorare suum DEUM, CHRISTUM Filium DEI, Salvatorem suum.

Clamitant concinnius esse docere & credere: Fidem sumto pane ascendere in cælum, & ibi CHRISTUM manducare spiritualiter, perceptis & applicatis sibi omnibus ipsius beneficiis. Ad quam imaginationem verba CHRISTI, hoc est corpus meum, figuratè accomodari & accipi volunt.

Quia verò corpus CHRISTI in capacissimo cælo, uno certo loco, ubicunqve sit, circumscriptivè esse docent, quis dicet, quo loco cæli, fides nostra ascendens supra omnes cælos, CHRISTI corpus inventura sit.

XVII.

Adversus has prophanas & falsas opiniones, quas omnes Zwinglii & Calvini sectatores retinent & defendunt, Ecclesia CHRISTI credit & confitetur:

CHRISTI corpus & sanguinem in usu Cœnæ Domini non abesse, sed verè & realiter cum pane & vino adesse, non sola sua efficacia & fructu, sed quoad substan-

substan-

substantiam suam assumptam ex Maria virgine. Quæ præsentia nec localis nec physica, sed supernaturalis & incomprehensibilis est, & tamen vera.

Nec talis est ea præsentia, quòd substantia panis & vini in Eucharistia, in substantiam carnis & sanguinis CHRISTI transferit, seu transsubstantiata sit, remanentibus solis elementorum accidentibus, quod est Papistarum somnium.

Sed quòd cum pane & vino, manducantes & bibentes Cœnam Domini, verè accipiant corpus & sanguinem CHRISTI, panem & vinum edentes & bibentes modo naturali & sensibili, sed corpus & sanguinem CHRISTI cum pane & vino edentes & bibentes modo insensibili & supernaturali, sic, ut secundum carnem CHRISTO uniamur, & CHRISTUS in nobis sit, non modo divinitate sua & spiritu suo, sed quòd DEUS & homo, etiam corpore & sanguine suo in nobis sit, & nos in ipso, ut eo modo verè, realiter & substantialiter efficiamur unum cum CHRISTO, os de ossibus CHRISTI, & caro de carne CHRISTI, CHRISTUS totus in nobis, & nos in ipso.

XVIII.

Hæc vera fides Christiana, quam adversus Pontificios & Sacramentarios profitetur Ecclesia nititur his fundamentis:

PRIMUM: Claris verbis CHRISTI Filii DEI, quibus Sacramentum Cœnæ instituit, accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.

SECUNDO: Veritate Filii DEI, qui non est præstigiator in verbis suis, sed verè dat & præstat, quod

verbo suo promittit, Matth. 24. Cœlum & terra tran-
fibunt, verba mea non tranfibunt.

TERTIO: Omnipotentia CHRISTI Filii DEI qui,
quod dicit, potens est & facere.

QUARTO: Benigna voluntate Filii DEI, quod
carne & sanguine suo in Sacra Cœna certo adesse vult
propter nos, quam suam voluntatem expresse verbo
declaravit.

QUINTO: Majestate CHRISTI Filii hominis, ex-
altati in dextra virtutis DEI, ubi sedet frater noster,
cum DEO Patre regnans pari Majestate & gloria.

Si CHRISTUS in summa sua humiliatione, ea
nocte qua traditus est, discipulis suis potuit dare cor-
pus suum cum pane manducandum, quod verè præ-
stitit: multò magis id jam præstare potest, sedens in
cœlestibus ad dextram gloriæ & virtutis DEI, habens
jam juxta humanam quoque naturam suam, omnem
potestatem in cœlo & in terra.

Præsentia igitur CHRISTI cum corpore & san-
guine suo in Cœna Sacra, non est physica nec localis,
sed voluntaria & supernaturalis, quæ fit arcano modo,
soli DEO cognito.

Ex pacto & beneplacito suo adest CHRISTUS
carne & sanguine suo in Sacramento Cœnæ, ut verba
ipsius sonant, idque per benignam suam voluntatem,
quia adesse vult, per veritatem suam, quia verbo suo
adesse sic se velle se obligavit, per omnipotentiam
& gloriosam majestatem suam, quia adesse potest, DEO
enim nihil est impossibile, & CHRISTO secundum
assum-

assumptam humanam naturam, data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Hæc immota fundamenta veræ substantialis præsentia corporis & sanguinis CHRISTI, cum pane & vino in Eucharistia, opponit Ecclesia opinionibus Philosophicis Caroloſtadii, Zwinglii, Calvinii & similibus, qui recedentes à claris verbis CHRISTI, glossam & *diavoliam* novam ipsis affingunt, & Filii DEI veritatem, benignam voluntatem, & omnipotentiam negant, impingentes in lapidem offensionis.

XIX.

CHRISTUS igitur in Cœna sua sumentibus dat cum pane sacro corpus illud suum verum, quod pendit in crucis ligno, sub vino sacro dat sanguinem suum illum verum, qui effusus est pro peccatis mundi. Sic adest Filius DEI in Sacramento Cœnæ, non solo spiritu, non sola gratia, non sola efficacia mortis suæ, non absens corpore, sed quia sedet ad dexteram Patris, in cœlestibus implens omnia, verè præsens est, DEUS & homo, potens omnia, verax in verbo suo, cum inquit dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, accipite, comedite.

XX.

Dicit Paulus CHRISTUM sedere in dextra DEI in cœlestibus, ne cœlum, ubi CHRISTUS jam est, de uno certo loco, in quo corpore suo circumscriptus sedeat, accipiatur. CHRISTUS per ascensionem ad cœlos secundum humanam suam naturam, assumptam in DEUM, Dominus cœli, terræ, & omnium creaturarum factus est. Nullum extat scripturæ testimo-

nium, quod dicat, CHRISTI corpus exaltatum in dextra DEI, cœlo captum, vel locatione physica, ubicunque sit, certo cœli loco circumscriptum esse. Temerarium omne est, quod profertur de eo eloquium.

XXI.

De universali omnipræsentia CHRISTI, qua etiam secundum humanam suam naturam cum Deitate sit in omnibus locis & creaturis, in foliis arborum, & aliis, etsi nihil attinet aut opus est, in hac vita disputare, quod salus nostra ab ea non pendet, & mysterium hoc conspiciemus in vita altera, ubi CHRISTUM videbimus sicut est; attamen fatendum & docendum est in Ecclesia adversus Diabolum, CHRISTUM non modò esse verum hominem, habentem etiam in gloria verum corpus, ossa & sanguinem: sed insuper esse unione inseparabili DEUM & hominem, & quidem hominem assumptum in DEUM, sedentem in dextra virtutis DEI. Nullibi igitur Filius DEI λόγος esse, aut cogitari potest aut debet, ubi non habeat secum personaliter assumptam humanam suam naturam.

Quomodo verò CHRISTUS DEUS & homo sit, & quomodo ubicunque λόγος Filius DEI est, ibi in unitate personæ cum ipso sit homo ex Maria assumptus, id nullius hominis cogitatione aut sapientia pervestigari aut comprehendi potest.

Valeat hîc illud, Exod. 3. & Jos. 5. Solve calceos pedum tuorum, Mysterium hoc sanctum & incomprehensibile est. Discamus igitur spiritu captivare intellectum rationis in obsequium CHRISTI.

XXII.

XXII.

Constat Enoch, Eliam & alios sanctos in cælo jam habere, & nos in æterna vita cœlesti habituros esse vera corpora humana, habentia carnem, ossa & sangvinem. At illa sunt & erunt, non physica, sed spiritualia corpora, similia angelis, non essentia, sed donis & gloria. Quod mysterium nulla humana ratio intelligere aut perspicere potest. Qui potest conciliare aut comprehendere, quomodo verum corpus constans ossibus, carne & sanguine fit spirituale, Angelis simile?

Quid igitur terra & pulvis, id est, stulta in rebus DEI humana ratio. perscrutari vult, quale sit corpus humanum Filii DEI exaltatum in dextra gloriæ, virtutis & majestatis DEI, circumscriptum vel incircumscriptum? Quod homini in hac vita incomprehensibile est. In vita altera videbimus CHRISTUM sicuti est.

Ut curiosa & profana est argumentatio, corpus Petri aut Pauli, in hac vita, non potuit simul & semel esse in diversis aut pluribus locis; Ergo corpus CHRISTI personaliter Filio DEI $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ unitum, nulla ratione potest simul & semel adesse in diversis & pluribus locis. Ita non minus curiosa & profana hæc est argumentatio. Corpus gloriosum Enoch aut Eliæ in cælo est alicubi, ubicunqve est, non localiter aut circumscriptum, quia spirituale jam corpus est, non capiens locum, sed alicubi est, eo modo, ut Angeli sunt alicubi, & pluribus in locis simul & semel esse nequit. Ergo corpus CHRISTI unitum personaliter Filio DEI $\lambda\acute{o}\gamma\omega$, jam exaltatum supra omnes cœlos in dextera

tera

tera majestatis & virtutis DEI, ubicunqve in cœlo est, vel certo loco circumscriptum est, vel eo modo est alicubi, ut Angeli alicubi sunt, & impossibile est, id simul & semel pluribus in locis esse, & esse ibi, ubicunqve Filius DEI λόγος est.

XXIII.

Simpliciter credere, est optimè credere. Simpliciter credere, est juxta verbum DEI, contra omnem captum rationis humanæ credere: CHRISTUM in unitate personæ esse DEUM & hominem: Filium DEI, quem non capit orbis, factum esse verum hominem in utero Mariæ virginis: In CHRISTO habitare incircumscriptivè, omnem plenitudinem divinitatis corporaliter. Quod mysterium admirabilius & incomprehensibilius est, atqve illud, cum dicitur, ibi esse CHRISTUM hominem ex Maria assumtum, ubicunqve Filius DEI λόγος est, cui unione personali inseparabiliter unitus est.

Quomodo vera istæc ita sint, aut fiant, nescio, nec scrutari volo, nec vult, nec præcipit DEUS, ut scrutari contendam: Imò jubet me exuere calceos veteris Adæ, & verbo divino simpliciter credere.

Vult nos abstinere à perscrutanda abyssso mysteriorum DEI. Et scriptum est: Scrutator majestatis opprimetur ab ea.

XXIV.

De vera præsentia CHRISTI DEI & Hominis in Cœna Domini, quòd innumerabilibus in locis, ubi celebratur Eucharistia, corpore & sanguine suo, cum pane & vino, substantialiter DEUS & homo reipsa adest,

adeſt, habemus expreſſum verbum **CHRISTI**, quod manet in æternum.

Sic habemus clarum verbum **DEI**, quòd totus **CHRISTUS** per fidem adſit & habitet in cordibus credentium, non ſola efficacia, ſed ſubſtantia ſua, etſi nulla humana ratio id percipit. Fides autem credit, **CHRISTUM** eſſe veracem, & unione inſeparabili eſſe **DEUM** & hominem.

Sic habemus clarum verbum **DEI**, quòd totus **CHRISTUS**, **DEUS** & homo in hac vita adeſt Eccleſiæ ſuæ, & omnibus piis in afflictione & periculo, & omnibus invocantibus eum.

Sic habemus clarum verbum, quòd docet, **CHRISTO** ſecundum aſſumptam humanam naturam datam eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra, & quòd omnia ipſi data ſunt in manum, quod omnia ipſi ſubjecta ſunt.

Scriptura loquens de **CHRISTO** Filio **DEI** incarnato, loquitur de toto **CHRISTO**. Scriptura ignorat novam illam communicationem Idiomatum, juxta quam contenditur: **CHRISTUM** non humana ſua natura, ſed ſola ſua Divinitate & Spiritu adeſſe in Sacramento cœnæ, & eodem modo adeſſe Eccleſiæ ſuæ, & omnibus afflictis invocantibus ipſum: **CHRISTUM** ſola ſua Divinitate omnipotentem eſſe: Humanam **CHRISTI** naturam, aſſumptam in **DEUM**, nulla ratione, nè quidem per gratiam unionis, nec per gloriam exaltationis in dextera **DEI** poſſe omnipotentem fieri, vel majeſtatem illam accipere, quòd ſimul & ſemel per omnipotentiam **DEI**, in pluribus, innumerabilius & omnibus in locis, ſi **DEUS** velit, eſſe poſſit.

XXV.

Quòd confessio Ecclesiarum Pomeraniæ de vera præsentia corporis CHRISTI in Cœna Domini, inquit, CHRISTUM sedentem ad dexteram DEI in cœlestibus, implere omnia, id non tantum de impletione Scripturarum seu Prophetorum vaticiniorum de CHRISTO intelligendum est, de qua in cruce moriturus dixit, consummatum est.

Paulus expressè de locis superis & inferis loquitur, inquit: Quòd CHRISTUS ascendit in cœlum, quid est, nisi quod idem descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit idem ille est, qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia.

Divinitati non competit ascendere aut descendere, quia cœlum & terram implet, Jer. 23. & Psal. 123. Loquitur igitur Paulus de humana natura CHRISTI descendente & ascendente.

Descendit CHRISTUS, cum factus homo propter nos, exinanivit semetipsum, accepta forma servi, cum in forma DEI esset.

Ascendit DEUS & Homo exaltatus in dextra DEI, factus secundum humanam naturam cœli Dominus, ut ubique adesset Ecclesiæ & omnibus invocantibus eum.

Ab æterno Filius DEI Divinitate sua implevit omnia, factus autem homo descendit, humilians se propter nos, & rursus ascendit supra omnes cœlos, ut assumpta quoque humana sua natura impleret omnia.

XXVI.

Calumnia est non ab humano ingenio, sed ab ipso Diabolo, Patre mendacii orta, vociferari, impletionem illam omnium, de qua Paulus loquitur, fieri per diffusionem

fionem

fionem, expansionem, seu coëxtensionem humanæ naturæ CHRISTI cum divina ipsius natura, sicut nebula diffusa omnem implet aërem. Nam & ipsa divinitas replens cœlum & terram, tali modo non extenditur. Improbè igitur faciunt Sacramentarii, quòd prodigiosam illam ubiqvitatem seu omnipræsentiam carnis CHRISTI coëxtensæ cum divinitate, Ecclesiis nostris imputant.

XXVII.

Etsi nemo hominum intelligere aut comprehendere potest, quomodo CHRISTI humana natura cum divina omnia impleverit & impleat, & quomodo homo assumptus ex Maria, unitate personæ in DEUM ibi sit, ubicunqve Filius DEI λόγος est: Attamen clarum DEI verbum & fidem christianam, de personali unione duarum naturarum in CHRISTO, propterea abjicere aut negare non possumus.

QVOMODO illud, verbum Judaicum est, fons omnium errorum & hæresium in Ecclesia, extremi exitii causa, ortum ab incredula ratione humana, quæ in his, quæ sunt Spiritus DEI, cæca & delira est.

Fides credit simpliciter juxta verbum DEI, & quomodo illud, committit DEO Omnipotenti & Veraci, apud quem non est impossibile omne verbum, qui quod dixit, facere potens est.

XXVIII.

In sacra Cœna Filii DEI, cum pane corpus Domini manducant omnes Christiani, digni & indigni.

Digni edunt ore & fide ad vitam æternam. Indigni edunt solo ore, sine fide ad mortis judicium.

XXIX.

Dignos vocat Paulus qui probant semetipsos, & sic de pane Domini edunt. Se ipsum probare, est in timore DEI, sine hypocrisi veram agere pœnitentiam, agnitis peccatis suis, & iusta ira DEI expavescere, & corde contrito & humilitate fitire gratiam DEI, cumq̃ nihil in nobis sit, quod peccatis & iudicio DEI possumus opponere, fide arrepta promissione Evangelii confugere ad CHRISTUM Filium DEI *ἰλαστήριον*, Mediatorem & Thronum gratiæ, & ad misericordiam DEI in CHRISTO promissam, & firmiter statuere, nos propter ipsius meritum & deprecationem pro nobis, in gratiam recipi, & adjuvante Spiritu sancto, velle impetus & actiones carnis mortificare, ac militare bonam militiam, retinendo fidem & bonam conscientiam.

Sic probet homo seipsum, & sic de pane hoc edat, & de calice Domini bibat.

Pia igitur præparatio ad usum Cœnæ Domini consistit in vera pœnitentia, quæ constat contritione cordis, fide in CHRISTUM, & bono proposito piè deinceps vivendi.

XXX.

Indigni sunt omnes impœnitentes in Ecclesia, securi, Hypocritæ aut Epicuræi, qui sine timore DEI, sine fide, sine pia *προαιρέσει* piè vivendi, hoc est, sine vera conversione ad DEUM, sacra Synaxi utuntur.

XXXI.

Verè & impii seu impœnitentes in Ecclesia corpus CHRISTI cum pane in Cœna Domini accipiunt & manducant, & sanguinem CHRISTI cum vino bibunt.

Quia

Quia Paulus clarè inquit, quicumque manduca-
verit panem hunc, & biberit calicem Domini indi-
gnè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet
igitur homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de
calice bibat. Qui manducat & bibit indignè, judi-
cium sibi manducat & bibit. Quia non dijudicat
corpus Domini.

Indigne manducantes rei fiunt illius, quod indi-
gna manducatione violant. Paulus affirmat, indignè
manducantes, reos fieri corporis Domini. Ergo impii
& impœnitentes in ecclesia, seu indignè Cœnam Domini
manducantes, non panem solummodo, sed ipsum etiam
corpus Domini cum pane manducant.

Et veteres Ecclesiæ Patres magno consensu, uno
ore affirmant, in usu Cœnæ Dominicæ indignos ore
sumere & manducare, non modò panem & vinum,
sed ipsum corpus & sanguinem CHRISTI.

XXXII.

Quia manducatio corporis CHRISTI cum pane
in Eucharistia fit à dignis ad vitam æternam, ab indi-
gnis verò ad iudicium, manifestum est, aliter id man-
ducari à piis, aliter ab impiis.

Triplex igitur fit manducatio in usu Cœnæ
Dominicæ.

PRIMA est Physica manducatio, qua in Sacra-
mento Cœnæ naturali modo sumuntur, & digeruntur
elementa panis & vini, sicut vescimur cibis aliis. Hæc
non congruit ad manducationem corporis CHRISTI,
id enim nec masticatur, nec digeritur, ut cibi ali.

Errant igitur Capernaitæ, & illi, qui nos Cani-
balos vocant.

Blasphemia est, atroci poena civili digna, quæstionem movere: An corpus CHRISTI in Cœna Domini cum pane sumtum descendat, in ventrem? &c.

SECUNDA manducatio, quæ in usu Sacramenti fit, est sacramentalis, quæ cum pane & vino, modo insensibili & incomprehensibili, ore accipitur, editur & bibitur verum corpus & verus sanguis CHRISTI.

Quæ oralis vel sacramentalis manducatio dignis & indignis, piis & impiis in Ecclesia communis est.

Digni edunt panem Domini ore & fide, duplici manducatione, Sacramentali & Spirituali ad vitam æternam.

Indigni edunt solo ore sacramentaliter, sine fide ad mortis iudicium.

Oralis manducatio corporis CHRISTI cum pane in sacra Synaxi, non est commentum humanum, sed ab ipso Filio DEI & à Spiritu Sancto tradita est. CHRISTUS & Paulus docent & affirmant, in Sacramento Cœnæ manducari, hoc est, ore accipi & edi, non panem tantum, sed etiam ipsum corpus CHRISTI.

TERCIA manducatio quæ fit in Cœna Dominica est spiritualis, quæ fit fide. Spiritualiter corpus CHRISTI manducare est CHRISTUM fide amplecti, vitam ex ipso haurire, & omnia ipsius beneficia sibi applicare.

Hæc manducatio corporis CHRISTI solis dignis, seu pœnitentiam agentibus, competit. Fit autem à credentibus non modo in usu Sacramenti, sed etiam extra ejus usum per auditum, meditationem & recollectionem promissionis Evangelii de CHRISTO. De qua spirituali manducatione carnis suæ concionatur CHRISTUS, Joh. 6.

XXXIII.

Vult Filius DEI pius in Ecclesia sæpè uti commu-
nionem Cœnæ Domini. Ad id pias mentes exuscites
& adigat: Primum, Mandatum CHRISTI, hoc
facite quotiescunqve, &c. Secundo, Promissio, qvòd
corpus CHRISTI pro nobis redimendis in mortem
traditum est, & qvòd sangvis ejus in remissionem
peccatorum pro nobis effusus est.

Et qvòd per communionem & usum Eucharistiæ
unimur cum CHRISTO etiam secundum carnem,
participatione naturali. Tertio, Necesfitas nostra,
qvæ in hac naturæ corruptione, & in tanta nostra
infirmirate & infidiis Diaboli magna & multiplex
est. Quia igitur sæpè pecco, sæpè medicinam acci-
pere debeo. Ideò inquit CHRISTUS: Manete in
me, & ego in vobis. Qvi manet in me, & ego
in ipso, is fert fructum multum. Joh. 15.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

FIDES ET SENTENTIA THEODORETI, EPI-
SCOPI CYRI, REGIONIS SYRIÆ, DE SUBSTANTIA
COENÆ DOMINI ET MANDUCATIONE ORALI.

In Dialogo secundo Ἀσυγχύτω ρ. 38.

Μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν μυσικὰ σύμβολα τὸν ἄρτον καὶ τὸ οἶνον
τῶ κυρίῳ, προσαγορεύω μὴ τὸν ἄρτον ἢ τὸ δινον, ἀλλ' α σῶμα
χριστὸ καὶ αἷμα χριστὸ. καὶ πιστεύω με σώματος χριστὸ μελαλαμ-
βάνειν καὶ αἷματος. ἀλλ' ὁμως οὐγὲ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυσικὰ
σύμβολα τῆς οἰκείας εὐίσαλαι φύσεως. μένει γὰρ νῦν τῆς προτέ-
ρας οὐσίας καὶ τῶ χήματος, καὶ τῶ εἶδους, καὶ ὄρατα ἐστὶ καὶ ἄπλα,
οἷα καὶ πρῶτερον ἦν. Νοεῖται δὲ, ἅπερ ἐγένετο καὶ πιστεύεται, καὶ προ-
σκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα, ἅπερ πιστεύεται.

SENTEN-

SENTENTIA VERBORUM THEODORETI

EST HÆC:

Mystica Sacramenti Symbola, Panem & Vinum Domini, post sanctificationem, appello non amplius panem & vinum, sed corpus CHRISTI & sanguinem CHRISTI, & credo me percipere corpus & sanguinem CHRISTI. Mystica tamen signa illa post sanctificationem non recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia & figura & forma, visibilia & tangibilia, qualia fuerunt antea. Intelliguntur vero ea esse, quæ per sanctificationem facta sunt. Et creduntur & adorantur tanquam sint ea, quæ creduntur.

IN COMMENTARIO THEODORETI SUPER XI. CAPUT PRIORIS EPISTOLÆ PAULI AD CORINTHIOS Pag 78 IN EXPLICATIONE DICTI: QVI MANDUCAVERIT PANEM DOMINI INDIGNE, ETC.

Hic Paulus taxat inter alios & nos, qui cum mala conscientia audeamus divina Sacramenta percipere, Illud vero, quod inquit, REUS ERIT CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI, significat hoc. Quemadmodum Judas prodidit CHRISTUM & Judæi insultantes ei, adfecerunt eum probris & conviciis: Sic eum dedecore & ignominia adficiunt qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.

Hæc dicta Theodoretis clarè testantur, ipsum credidisse & docuisse cum Ecclesiis nostris veram præsentiam corporis CHRISTI in cæna Domini, sic, ut panis & vinum per sanctificationem verborum CHRISTI, modo incomprehensibili fiant corpus & sanguis CHRISTI.

Nec tamen fieri transubstantiationem quam confinxerunt Pontificii, sed remanere substantiam panis & vini in actu cœnæ.

Adorationem nominans non intelligit Papisticam εἰδωλατρειάν, sed piam venerationem Sacramenti.

Profitetur etiam nobiscum Manducationem Oralem & Manducationem indignorum.

GRYPHISWALDIÆ,

ANNO M. D. LXXII.

32:0:30

Coll. diss. A. 215, misc. 2